

II.

REGNUM MORTUORUM.

Nro. 99.

*Secretum litterarum commercium inter vivos
et vita functos.*

1. Iulian. V. Mann. Die Veneris 14 Dec. 1810 (Neov. 30. Nov. 1810.)

O si barbara manus te, giganteum monumentum!
non profanassent, mirabilis moles tua ceu prin-
ceps mundi jugum hodie dum staret.

Romulo Statori. ad Elysium.

Eximie, immortalis Conditor, orbis olim
metropolis, quid dicturus fuisses, si denis
ante Decenniis conditam a te aspexisses
Romam? Moesti septem superbis collibus im-
morati fuissent oculi tui atque pristinam
magnitudinem, priscam gloriam splendorem-
que Romae tuae requisivissent. Sacris in lo-
cis Tullii oratione inclutis, greges cornuti mu-
gitu ingrato suo occurrissent, de rudere ad ru-
dus iturus fuisses, usque pes tuus excellentiam
Romae subtus duntaxat conculcasset; non
jam magnificum conspectui tuo se obtulisset
spectaculum, quo natura omnem virium po-
tentiaeque suae vim exeruit; spectaculum:
quo quamvis virtutem ea explicuit, quodvis
vitium progenuit. Excellentissimos heroes,
abominandis foedissimisque sceleribus dedi-
tos luci edidit. — Quae ad Bruti dignitatem
se evexerat, ad Neronis vilitatem delapsa,

atque ad praestantiam Marci Aurelii rursus provecta est. Venusinum Mantuanumque vatem frustra quaereres, in summa Augusti urbem desiderares.

Verum evolutis aliquot decenniis contemplare magnificum a te conditum opus, et vestigia pristinae magnitudinis revelata facie coram te adparebunt. Quamquam Roma princeps orbis non futura, fieri tamen poterit ut secundum locum teneat; si tua gens resuscitari non possit, monumenta nihilominus ejus olim magnitudinis diu adhuc posterorum admirationi reservabuntur. Petis argumentum assertum probans? en lege et convincere! —

Roma die 17. N.v. Notum vulgo: Imperatorem Galliae declarasse: se pretiosas antiquitates secundae ampli Imperii sui urbis in peculiare praesidium suum accipere velle. Huic eximii Monarchae consilio morem gerendi, una vero conspicuum otiosorum hominum numerum occupandi gratia Regiminis Junta pro hac hyeme has praecepit operas:

1) *Templum Dicae Vestae* (hodie Ecclesia S. Mariae de Sole) — et *Fortunae viridis* hodie Ecclesia S. Mariae Aegyptiacae, utrumque a ruderibus repurgandum et ei formae restituendum; ut prisca dignosci possit.

2) In percelebri olim apud Romanos *Foro Romano* (hodie Campo Vaccino dicto) circum Tabularium et Templum Concordiae terrenum usque ad stratum vetus Urbis amo-

vebitur, compitumque deinceps per arcum triumphalem Septimii Severi ducetur.

3) Magnifica *Porticus Antonii et Faustinae* (juxta Ecclesiam S. Laurentii in Miranda) quae hoc usque in dimidia parte sub terra latuit, a ruderibus repurgabitur, terrenumque circum circa in profunditate multorum pedum amovebitur.

4) Pari ratione, ut jam memoratum, 3 arcus fornicesque per quos Imperatores veteres ex Thermis Titi Colosseum petiere, rursus restituentur.

5) Denique mundandis ex integro subterraneis ambulacris ad Thermas *Titi Vesp.* operae impendendae in quibus pretiosissimae imagines monumentaque jam reperta. Porticus quoque Jovis quadriformis restaurabitur.

Aliis in Campo Vaccino suscipiendis Decorationibus forum isthoc non Romae modo, sed totius Italiae venustissimum et elegantissimum futurum fertur.

Amstelodamo die 28. Nov. Dux Placentiae Minist. negot. Int. Dno a Capellen Imperatrice Galliarum feliciter uterum gerere indicavit eo cum Mandato: pro salute praegnantis Imperatricis in Ecclesiis Hollandicis supplicationes instituendas esse, quare prov. Praefectis in hoc argumento opportuna mandata expedita sunt.

Rei maritimae Minister navigiorum bellicorum numerosorum structionem nostro in portu demandavit.

Quaevis Naves, anno superiore et principio hujus cum oneribus Hollandicis egressae portibus cum venia Caesarea, et pice, lino, Cineribus clavellatis aliisque id genus mercibus onustae eosdem repetere possunt, dummodo Anglicana navigandi venia (Licentia) mercibus Anglicanis, Colonialibusque destituantur.

Londino 16. Nov. Ex Hispania haec percepimus nuncia.

Gibraltar (*Calpe*) 24. Octob. Expeditio ante aliquot dies egressa Malacam obsidione liberatura infelici fato scopum suum non assequabatur, copiaque nostrae confestim receptum sumere debuere. Pars earum hodie mane terrestri itinere reversa, et occasione conscendendarum navium magna pars earum undis mersa, in caeteris 400 Captivos cum Praefecto eorum Lordio Blancy multisque officialibus amisimus. Vig. Praef. Grant in captivitatem incidit.

Litterae privatae Windsorio heri perceptae nunciant: ex tempore novissimae editionum publicorum Indicum, nihil de constitutione valetudinis Regis compertum esse.

Regimen heri nuncias a Lordio Vellington percepit litteras, a Derterelleo allatas, qui 5. p.m. Tagum reliquit. Certi jubemur, has nuncias litteras die priores esse iis, quae nupero Veneris die 16. h. m. perceptae sunt, addunt: Tractationes quae Lordium Vellington et Massenam intercedunt Captivorum redemptionis argumentum habere.

Regnum Italiae.

Mediolano die 16. Nov. Serenissimi Caesaris Princeps Prorex et Proregina, quae tenendi propedien feliciter partum spe ducitur, deliciosum Castellum Monza reliquerunt atque rursus hanc urbem domicilii sui repetiere.

Svecia.

Holmia 13. Nov. Negotiorum ad usque nostrorum Londini gestor D. a Brinkmann Cabineti Camerarius Seren. Regii Coronae Principis denominatus est.

Serenissimus Princeps Cubilia Principis Oscari habitationi destinata adhuc incolit, quae ipsa habitatio fuit, defuncti Coronae Principis Caroli Augusti, causa est: quod Ducalia olim Conclavia quae Coronae Princeps cum Coniuge habitaturus nondum ex integro adparata sint.

Maj. Regia Gen. Maj. et Commendatorem a Skjöldebrand actualem. Supremum urbis metropoleos Vicarium denominavit, Excellmo. Supr. Vicario Campi Mareschallo Comite Klingspor pridem petita rude cum annua 3000 Imp. Banc. pensione gratiosa donato.

Nudius tertius Coronae Princeps inopine in Theatrum comparens incondito ibidem Jubilo exceptus est.

Regnum Vestphaliae.

Cassela die 28. Nov. Nunciis a Gen. Administrationibus Rei aerariae Ministerii vulgaris continetur, seqv. in argumento productorum Mineralium declaratio:

Quaevis Naves, anno superiore et principio hujus cum oneribus Hollandicis egressae portubus cum venia Caesarea, et pice, lino, Cineribus clavellatis aliisque id genus mercibus onustae eosdem repetere possunt, dummodo Anglicana navigandi venia (Licentia) mercibus Anglicanis, Colonialibusque destituantur.

Londino 16. Nov. Ex Hispania haec percepimus nuncia.

Gibraltarica (Calpe) 24. Octob. Expeditio ante aliquot dies egressa Malacam obsidione liberatura infelici fato scopum suum non assequabatur, copiaequae nostrae confestim receptum sumere debuere. Pars earum hodie mane terrestri itinere reversa, et occasione conscendendarum navium magna pars earum undis mersa, in caeteris 400 Captivos cum Praefecto eorum Lordio Blancy multisque officialibus amisimus. Vig. Praef. Grant in captivitatem incidit.

Litterae privatae Windsorio heri perceptae nunciant: ex tempore novissime editorum publicorum Indicum, nihil de ratione valetudinis Regis compertum esse.

Regimen heri nuncias a Lordio Vellington percepit litteras, a Derterelleo allatas, qui 5. p. m. Tagum reliquit. Certi jubemur, has nuncias litteras die priores esse iis, quae nupero Veneris die 16. h. m. perceptae sunt, addunt: Tractationes quae Lordium Vellington et Massenam intercedunt Captivorum redemptionis argumentum habere.

Regnum Italiae.

Mediolano die 16. Nov. Serenissimi Caesarei Princeps Prorex et Proregina, quae enitendi propedien feliciter partum spe ducitur, deliciosum Castellum Monza reliquerunt atque rursus hanc urbem domicilii sui repetiere.

S u e c i a.

Holmia 13. Nov. Negotiorum ad usque nostrorum Londini gestor D. a Brinkmann Cabineti Camerarius Seren. Regii Coronae Principis denominatus est.

Serenissimus Princeps Cubilia Principis Oscari habitationi destinata adhuc incolit, quae ipsa habitatio fuit, defuncti Coronae Principis Caroli Augusti, causa est: quod Ducalia olim Conclavia quae Coronae Princeps cum Coniuge habitaturus nondum ex integro adparata sint.

Maj. Regia Gen. Maj. et Commendatorem a Skjöldebrand actuaalem. Supremum urbis metropoleos Vicarium denominavit, Excellmo. Supr. Vicario Campi Mareschallo Comite Klingspor pridem petita rude cum annua 3000 Imp. Banc. pensione gratiosa donato.

Nudius tertius Corouae Princeps inopine in Theatrum comparens incondito ibidem Jubilo exceptus est.

Regnum Vestphaliae.

Cassela die 28. Nov. Nunciis a Gen. Administrationibus Rei aerariae Ministerii vulgatis continetur, seqv. in argumento productorum Mineralium declaratio:

„Praerogativam vindicant indisputabiliter Sal, argentum, plumbum, ferrum, quoniam Salis fodinae Vestphaliae annue in diametro ultra 34000 pondo a 3140 libris supeditant, ex argento per annum in diam. 650,000 Marcas, de plumbo in diam. 60000 Cent. ferri fusi 78000 Cent. in perticas redacti 80—90000 Cent. a 110 libr. quotannis producantur.

B I O G R A P H I A.

Remulus et *Remus* gemini erant fratres et naturales filii Rheae Numitoris filiae Regis Latinorum cujus frater *Amulius* violente regnum ei eripuit. — Utque posteris suis possessionem securam reddat, Rheam Vestalem Virginem fieri coegit; at haec voto, quo obstricta, violato, praegnans facta duos enixa filios:

Amulius (ita refert fabula) certior reditus de nativitate duarum prolium eas Tiberi injiciendas curavit, at ab undis ejectae iterum, a lupa nutritae sunt. — Videns haec pastor cui *Faustulus* nomen, proles lupae ademerat, *Accae*que uxori (quam alii *Lupam* adpellare, ex quo fabula orta videtur eas lupae uberibus lactatas fuisse) tradidit curandas, quibus *Remi*, et *Romi* seu ob pusillitatem *Romuli* nomen indidit. Cum pueri pastores inter educarentur, continuis laboribus indurati, corporis et mentis robore proficere,

adeo, ut, ubi adolevissent, locum cui immobilabantur ab impetitoribus defenderent, immo accidit, ut acres inter luctas amissam ex qua ejecti stationem rursus recuperarent; in harum una Remus in captivitatem duceretur, atque Amulio proponeretur, a quo resignari Numitoris manibus jussus. — Cum Numitor Juvenem forma decorum intueretur, animo commovebatur, venitque ei in mentem, cum juvenem magnopere vultum Rheae exscribere animadverteret, jussum fratris ejus, proles Tiberi injiciendi. Eodem temporis articulo adest Faustulus socio Romulo, qui ei memoravit: ut pueros fatali ereptos unda repererit, ut foverit, curiose educarit, ut filiae ejus liberi essent, quibus maxima cum animi voluptate intellectis, Numitor demi Juveni vincula libertatique eum confestim reddi jubet; mox uterque frater de indigna qua avus per fratrem habitus, ratione edocti consilia ineunt Amulium vita privandi et avum solio, quo fratris impietate deturbatus erat, restituendi, quo sceptro potito Anno M. C 2445. seu A. X. 752 die 20. Aprilis eodem, quo Tiberi injecti erant loco urbem condere coepere, in quo opere lis inter eos de nomine novellae urbi indendo orta, uterque honorem suum ei impertiendi nomen habere voluit; acrem diuturnamque post contentionem tandem praevaluit Romulus postquam fratrem Remum occidisset, urbe, regno, rerumque potitus, statorque Imperii orbis olim potentissimi et amplissimi, quod principio per

243 annos Regnum, tum respublica Aristocratica dein Demagogica sub Octavio Imperium et Monarchia quae p. x. 375 in Occidentale et Orientale Imperium divisa, illud per barbaros 474 eversum, per Carolum Franciae Regem 800 restauratum, hoc 1453 per Mahometem II. Turc. Imp. dirutum. — fuitque conditor Urbis, quae in orbis Historico Theatro personam sine exemplo egit — *Romae.*

E p i g r a m m a.

ad Imaginem patientiae.

Nec patitur, bene qui patitur, nec vincere crede
 Qui bene non vincit, victor et ipse sui est.
 Utiliter vis posse pati? te vincere disce,
 Utiliter te vis vincere? disce pati.